



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus M.D.II. Sanctißimi P. N. Benedicti MXXII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

illa gaudia evocatus, felicem Caelitum auxit numerum, cœlosque implevit gratulatione.

Beatus Eusebius Hispanus.

Hic natione Hispanus, virtute non minus, quam genere Nobilis, magnis animi corporisque talentis præditus, & ob hæc Regibus catholicis charus, cum Anno Christi 1497 Regum eorundem Oratorem apud serenissimam Rempubl. Venetam ageret, & sapius ad lectissimum, hodieque [ut coram mirati sumus] florentissimum sanctitate Cœnobium S. Michaelis Camaldulensium nostrorum inviseret, sacrosancto aliquando Misæ ibidem Sacrificio, cœlesti quadam vocatione invitatus, quamprimum accommodans animum, hospitium

Conversio ejusdem.

illic rogat, & super proposito suo Regem informat; qui tantum sibi virum abesse graviter ferens, submisso statim in ejus locum Oratore alio, Eusebium revocat, eoque sibi singulariter opus esse multis edocens rationibus & argumentis, nihil tamen efficit ipso constantissime in suo sancto persistente proposito, quem frustra deinceps reducem serenissimus Rempubl. Dux & Princeps proceresque cum Veneti, tum Hispani avertere conati sunt. Cucullum proin summa devotione complexus, & expleto sacri Tyrocinij probationis anno, Monasticen professus, mox Venetias & Hispanias splendoribus mira sanctitatis percelluit, & Magister creatus Novitiorum, charitate, patientia & pia sollicitudine, non minus se ipsis Novitijs, quam illi, etsi tam sancto instituti Magistro, probavit, & exemplo omnibus atque incitamento fuit. ut vel maxime tunc pulcherrimum & felicissimum Cœnobium, juventute renovatum Aquilæ, in pullis tam probatæ generositatis, Venetias adorarent. Animi demissione maximus, nihil tantopere, quam viliora

Magister Novitiorum insignis.

exambijt, & in culina servire inter opatoriâ habuit. Sapius ex obedientia occurrere ad proceres jussus, in ictu oculi paruit, & ut erat sordido procinctus linteo se se admirantibus stitit. Fuit rigidus sui corporis castigator, quod multa inedia, usu cilicij, alijsque afflictionibus carnis strenuè edomuit. Fractus denique laboribus, stomachi graviter debilitati la-

Viri egregii sanctitas.

borans morbo, accedente feбри, sexdecim totos ante obitum dies, nihil prorsus cibi seu potus admittens in DEI jugiter laudibus permansit, perceptisque demum sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, præ gaudio in dulces effusus lachrymas præque dulcedine societatis Angelorum exultans, erectis in cœlum manibus moritur 4. Idus Februarij hoc anno, cum paulo ante mortem ipsius, tota spectante & admirante Venetiarum Vrbe, flamma lucidissima è cœlis super Cœnobium in quo decumbebat descendere videretur. Claruit à morte illustrissima miraculorum gloria, & in eodem suo sepultus Cœnobio ab Aldo Manutio sequenti elogio est honoratus.

Mors ejusdem felicissima.

Lector, parumper siste; rem miram leges. Hic Eusebii Hispani Monachi corpus situm est.

Vir undecumque qui fuit doctissimus, Nostræque vitæ exemplar admirabile. Morbo laborans, sexdecim totos dies Edens, bibens nihil prorsus, & usque suos monens, DEUM adjit. Hoc scires volebam: abi & vale.

Vixit vir sanctus, annos unum & quinquaginta, cujus vitam Stylo facundo scripsit Augustinus Florentinus.

IESU CHRISTI ANNUS M.D.II. Sanctissimi P. N. Benedicti MXXXII.

NEquid Hispaniæ, nequid Italiæ cedere videretur fertilissimum, tot sanctissimorum per Ecclesiam universam Institutorum & Ordinum, atque innumerabilium utriusque sexus sanctorum Genitrix Galliarum Regnum, ipsum quoque Benedictini inextincti fervoris flammam in sublimè exsuscitat. Graciosissimo quamprimum splendore, latè omnibus coluluscenscentibus.

Instituta primum hoc anno à Guilielmo Alabatio Abbate S. Petri Casalis Benedicti, Dioceseos Bituricensis, insigni per Gallias Ordinis nostri Reformatione, quæ ante paucos annos optimis cœpta initijs, aspirante cœptis Numine, nunc latius propagata, paulo post felicissimis crevit successibus, adeo ut deinceps, magna sedis Apostolicæ gratulatio-

Mors ejusdem felicissima.

Miraculorum gloria celebr.

Epitaphium B. Eusebii Hispani.

Notus in Gallia splendor.

Casalis Benedicti Congregatio.

ne à Leone X. nec minus minore applausu Francisci I. Galliarum Regis solemnissimè & probaretur, & plurimum commendaretur, dicta deinceps CONGREGATIO CASALINA. Admirabili Divini Numinis providentiâ & dispositione, ut cum orbem, quotidie in deteriora raperet Caco-dæmon, è contra DEUS varia passim luminaria discutiendis tenebris suscitaret, & suavissimo modo quoscunque bonæ voluntatis ad se raperet, & à præcipio scelerum præservaret. Fuit ad Congregationem hanc magnus quamprimum confusus, vocantemque DEUM, viri opibus & gloriâ florescentes, eosque inter eruditione celeberrimi, non sine summa multorum admiratione consequuti, divitias antea summo quasitas studio & labore, paupertate voluntariâ, delicias mundi que illecebras rigore Monachico, literarum profanarum, & scientiæ instantis studium, simplicitate sanctâ, & sui contemptu religiosissimo permutarunt: quos inter Guido juvenalis, Joannes & Carolus Fernandi, singulari eruditione clarissimi, & litterarum celebres in Archi-Universitate Parisiensi Professores, ad Casale illud, Regum Palatii illustris, mirâ Institutum illius rapti honestate & sanctitate, certatim convolarunt. Ex his mirandus præ alijs Carolus Fernandus, modo dictus, imò pro miraculo passim habitus, qui cum à prima, ferè ætate, oculis captus, atque ob id ipsum elementorum omnino ignarus esset, eâ tamen excelluit ingenij sagacitate, ut alter sui sæculi Homerus haberetur., in omni præterea scientiarum, genere versatissimus, adeo, ut ultro Parisios, ad universitatis cathedras, & ad publicè profitendum expeteretur, & evocaretur. Is autem contempto eo, quod miraculum passim audiret, & oraculi vice haberetur, Monasterium prædictum ingressus cucullum famâ omni sanctius & potius habuit; atque Apostolicâ dispensatione ordinatus Diaconus, nomen suum per insignibus ingenij monumentis, conspicuum orbi & æternitati fecit. Reliquit autem:

Commentariorum Diversorum Librum I. Laudum Ordinis Patrum Carmelianorum Lib. I.

De Conceptione Beatissimæ Matris Virg. Lib. I.
Odorum in Laudem Christi Servatoris. Lib. I.
Orationem insignem in Laudem ejusdem. Carmen Jambicum de Beatissima Virg. Lib. I.
Orationem celebrem de Laudibus Deiparæ. Orationem de Laudibus S. Catharinæ Virg. Mart.
Carminum diversi generis plurimorum. Librum unum.
Elegiarum de contemptu mundi. Lib. I.
Epistolarum ad adversos. . . . Lib. I.
Speculum Discipline Monastica. Lib. I.
Epistolam Paraneicam observationis Regula Benedictinæ. . . . Lib. I.
 De eo agit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica: fuit enim Brugensis patria; nec non Antonius Sanderus de Scriptoribus Flandriæ. Chopinus lib. 2. de Domino Franciæ, & lib. 1. Monast. III. 2. Arnoldus Duacensis & alij.

Effertuit hoc ipso tempore in eodem amplissimo Galliarum Regno [ut promptissimam in vota Magni Benedicti, sui que conservationem Ordinis, DEI manum agnoscas] & mirificè exarsit, plurima longè latè que Canobia calentissimo vitæ Monachicæ exemplo exsuscitans Congregatio nostra Sagienfis, de qua memoratus nunc primum Carolus Fernandus in Libro suo Paraneico de observatione Regulæ Benedictinæ, ad cuius Reformationis Monachos opus idem scripsit; quæ quidem, ut ex eisdem apparet scriptis, magnæ omnino fuisse observantia & abstinentia, comprobatur. Ut mirum planè sit, invalescentibus per orbem Hæresibus & sceleribus, ipso quoque Atheismo, vetustissimum tamen Ordinem, nunquam non novos, ut deinceps videbimus, surculos gemitasse, & Aquilæ juventute sacculis singulis, imò singulis, si non annis, annorum certè Decadibus & singulis Olympiadibus renovatum. Carolus Fernand. Ann. Duac. &c.

Italia item, novi non ita pridem concepti fervoris retinens, celeberrima in primis sanctæ Justina Paduanæ Congregatio, & Reformatio, viros cum eruditione, tum rarâ vitæ perfectione illustres plurimos, summo cum bono atque ornamento Ecclesiæ

Ejusdem ingenij præmonimenta.

Congregatio nostra Sagienfis.

Juventute aquilæ renovatur Ordo.

S. Justina de Padua Congregatio.

D

clésiæ

Confusus

Guido juvenalis.

Virii aliquot illustres.

Caroli Fernandi eruditio.

eleſtæ educat. Quorum aliqui, ignorantiſſimo ſanè ſaculo, & ob hoc ipſum tot erroribus obnoxio, meritis etiam de re litteraria gravibus excelluere. E quibus hoc ipſo anno, Lucas Bernardus Brixienſis ſe prodidit, cui alia inter debet ſera poſteritas Beati Joannis Chryſoſtomi Homilias octuaginta è Græco in Latinum converſas, quæ Baſileæ Rauracorum tomis duobus excuſæ ſunt.

*Theophilus
Martini
Episcopus
Drivaſti.*

E congregatione ſimiliter noſtra Camaldulenti, eminet juxta alios, Theophilus Martini, vir præſtantiſſimus, Balnenſis primum Monachus, dehinc Abbas, ob vitæ autem doctrinæque merita Cænobio extractus, & Drivaſtenſis in Candia Regno Episcopus ordinatus, quem ipſe honorem ita geſſit, ut honoratiorem redderet, novo exemplo docens, quantum Cathedris etiam eminentiſſimis Monachi veteres ſecum contuliſſent.

Rurſum aliud Regnum, novis luminibus colluceſcit, calore incaleſcit, Neapolitanum ſcilicet, & ipſa Metropolis, ac ſedes Regum Neapolitana urbs, Reformatione Ordinis novâ, fervore Religioſorum novo, ſuccenſo primum Divini Spiritus igne præ alijs Cænobijs, ſancti Severini ſpectatiſſimo ibidem Archiſterio, cuius conatus, uti cælum excitavit & juvit, ſic ipſe Archidux & Patriarcha Monachorum Benedictus, prodigioſo applauſu approbavit, & commendavit. Sicut deinceps audiemus.

*S. Severini
in Urbe
Neapolitana
Reformatio.*

Germania, eſt poſtrema plerumque, tanquam natura tardior, ſobrietatis tamen & frugalitatis exemplis non omnino carens, produxit hoc ipſo tempore, qui reformationis, toto ſtudio ſatagerent, quos inter Ortho ab Elten ſive Eltern Archiſterij Trevirenſis S. Maximini Archimandrita, Reformator ſtrenuus, perfectionis ſtudio cultiſſimus, hoc ipſo anno beatiſſimo ſine, ultimâ Aprilis decedens, ſucceſſorem pari Zelo reliquit Thomam ab Hueſden Brabantinum, uterque non ſuo ſolum Cænobio, ſed multis alijs vitæ exemplo plurimum profuere.

*Ortho ab
Eltern
Abbas S. Maximini
Trevir.*

Nec minori laude & magnis conatibus celebrem Chriſtianum Abbatem in ſuperiore Altaich Bavariæ hoc anno mortuum Cæſari Maximi-

*Chriſtianus
Abbas
Altaich.*

liano & Alberto Bavariæ Duci chariſſimum mortalibus ereptum conſequutus pari Religione & Reformationis Studio Georgius, & Monasterium ſuum, & vicina immortaliter demeruit. Chriſtiano pro meritis, Filij ſacri ſequens Epitaphium poſuere.

*Epitaphium
ejuſdem.*

Sexto Kal. Julij anno Chriſti 1502. Obijt venerabilis Pater ac Dominus Chriſtianus Abbas noſtræ Congregationis, Vitæ Regularis Zelator, Virtutum Cultor, Vitiatorum Ultor, Fratrum amator, Monasterij Reformator, partimque Reſtaurator.

Ipo anno 1502. in Regno Polonia, Monasterio ſanctæ Crucis Montis Calvi, Benedictini Ordinis, ſupra quinquaginta Monachi, Tartari Cænobium in vadentibus, in Eccleſia collecti, dum SALVE REGINA, toto animi Voto depromunt, à barbarijs crudeliter maſtati, coeptram Salvationem coram Regina Martyrum in Cœlis feliciter abſolvunt. Ex monim. ejuſdem Cænobij.

*Virgilius
Abbas S. Petri
Salisburg.*

Obijt eodem ipſo Virgilius eo nomine II. Abbas S. Petri Salisburgenſis, de quo Albertus intaminatiſſimæ Vitæ Succeſſor: qui non ſolum Verbo ſuis præſuit, inquit, ſed ſanctæ Converſationis exemplo, comprobante ſeſe hoc ipſum in mœſtiſſimis à morte ejuſdem diſcipulis, & ſucceſſorem Anteceſſori non imparè eligentibus, adeo concorditer & unanimiter, ut qui tunc intererat ipſus Electioni Archiepiſcopus Leonardus, à Keutſchach, nunquam ſe vidiffe ſive audeviſſe tam ſanctam & concordem Electionem. ut facile, de cætera etiam loci diſciplina omineris.

IESU CHRISTI ANNUS. M. D. III.
ſanctiſſimi P. N. Benedicti.
M. XXIII.

Nil proficientibus tantis & viris & virtutum exemplis, Germania nihilominus, cibi potuſque corporalis, nimiâ fame, liti, & ingluvie, Gratiarum Numinis & ſacrorum influxuum haud minimo impedimento, languens ipſa ſacietate, etiam lethargo laborare videbatur. Tepebant cum pietate litterarum etiam ſtudia: creſcebat cum avaritia & licentiâ cleri, odium & obſtinatio populi,

*Status
Germania.*